

SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, Prot. n. 9036/77 CA,
Remotionis a paroecia, 8 aprile 1978.*

Prot. n. 9036/77CA

Remotionis a paroecia

(Rev. X – Sacra Congregatio pro Clericis)

IN NOMINE DOMINI. AMEN

Paulus PP. VI feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno xv, die 8 aprilis 1978, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em. mis PP. DD. Pericle Felici, Praefecto et Ponente, Francisco Carpino, Aegidio Vagnozzi, Maximiliano de Furstemberg, Paulo Bertoli, Sylvio Oddi, Humberto Mozzoni et Petro Palazzini in causa N, Remotionis a paroecia, inter recurrentem Rev. dum X, repraesentatum per procuratorem Adv. Franciscum Ligi, et resistentem Sacram Congregationem pro Clericis, repraesentatam per Advocatum Publicae Administrationis Rev. mum D. Josephum Macchiarola, interveniente in causa Rev. do P. Petro Tocanel, O. F. M. Conv. Promotore iustitiae deputato hanc tulit definitivam sententiam.

FACTI ADUMBRATIO

Die 15 septembris 1974 Cardinalis Archiepiscopus N, praesentans christifidelibus paroeciae ruralis Y in "Z" novum parochum, rev. X, dixit: "Egli ha maturato una lunga ed intensa esperienza pa-

* A seguito dei testi e delle relative traduzioni delle due sentenze, si può consultare il commento di JAVIER CANOSA, *La rimozione del parroco in due sentenze della Segnatura Apostolica: commento con una riflessione sull'opportunità di adottare vie conciliative più efficaci.*

storale, volta soprattutto a soccorrere i più poveri". Revera sive in adsistendis tenuioribus et profugis, sive in quasi vicennali munere paroeciali praestito in paroecia V (cui renuntiaverat, ex invitatione Archiepiscopi, sed sub quibusdam clausulis, ab Ordinario acceptatis) multa sibi comparaverat merita, quae ipse Archiepiscopus agnoscere laudando debuit.

At vero, vix anno et dimidio elapso, scilicet d. 25 februarii 1976, Cardinalis Archiepiscopus, datis litteris, "richiamava l'attenzione del X su alcune gravi carenze nell'esercizio del ministero di parroco", eapropter eum invitabat ad renuntiandum paroeciae. Huiusmodi carentiae erant: absentiae diu protractae sine iusta causa a paroecia, substitutis ad normam iuris non comparatis; negligentia et incuria in impertienda catechesi (non instituebat catechistas, sisteat fere in quibusdam articulis catechismi S. Pii X): fere nulla actuosa participatio fidelium in actione liturgica (homilia non inspirata liturgiae Verbi, omissio orationis communis fidelium et quarumdam aliarum precum): carentia existimationis ex parte fidelium, qui ad alios sacerdotes vel ad alias paroecias confluebant, eo etiam quia rev. X praesertim in praedicatione aequilibrio necessario carere videbatur: defectus in administrandis bonis temporalibus, contrahendo aes alienum, qui defectus, attenta quoque administratione prioris paroeciae, peiora damna timere faciebant: tractatus pro alienatione bonorum ecclesiasticorum, sine praevia licentia Curiae: neglectus in relationibus cum Officio Administrativo dioecetano, cui, interrogatus vel quaesitus, respondere non solebat.

Ad hanc Ordinarii sui epistolam rev. X d. 14 aprilis 1976 respondit se promptum esse ad renuntiandum, dummodo antea complerentur ex parte Officii Administrativi clausulae iam constabiles, et ipsius honorabilitati et sustentationi aequae provideretur. Replicavit d. 17 aprilis 1976 Ordinarius aiens se aliam omnino responsionem a rev. X expectare: clausulas autem quod spectabat, eas ex parte iam esse adimpletas, aliis autem provisum iri postquam rev. X paroeciae renuntiavisset: iterumque ad renuntiationem intra d. 30 aprilis 1976 faciendam invitabat. Postquam autem adv. W, nomine rev. X, colloquium ab Archiepiscopo, ad illustrandas et componendas res oeconomicas sui clientis frustra postulasset, die 24 aprilis 1976, rev. X conquestus est cum Archiepiscopo ob denegatam audientiam, et suum propositum iterum manifestavit renuntiandi paroeciae, iuxta desiderium Archiepiscopi, attamen iis conditionibus quas antea proposuerat. Timebat enim ne, renuntiatione facta, clausulae non adimplerentur, prout saltem ex parte factum non fuerat post primam renuntiationem.

Habito voto duorum Examinatorum Synodaliū die 2 octobris 1976 Ordinarius renovavit rev. X suam invitationem ad renuntiandum intra diem 12 octobris sequentem vel ad alligandas "ragioni pertinenti in modo preciso ai singoli rilievi mossi da me al Suo comportamento nella lettera del 25 febbraio 1976". Die 8 octobris sequenti rev. X rescripsit Ordinario. Conquerebatur in primis quod, omisso alio remedio, statim ad renuntiationem Archiepiscopus cogitaverit, quod insuper adimpletio clausula-

rum ad iustitiam commutativam pertinebat, ideo sui iuris erat in hoc insistere. Fuisse autem exponebat responsionem ad capita, ob quae ipse paroeciae renuntiare deberet.

En summa praecipuarum rationum a rev. X adductarum. Quoad absentias protractas et iniustificatas, substituto non electo, Resistens obtrudit absentias, illo non certo diuturno tempore vitae paroecialis, iustificatas vere fuisse sive ob aegritudinem (Archiepiscopus paterno animo eum inviserat), sive praesertim quia, cum ab eo postulata fuisset relatio praecedentis administrationis paroecialis quasi per vicennium protractae, debuit, concorditer cum Vicario Generali, in domum religiosam loci "S" abscedere. Hoc tamen tempore absentiae, paroeciae, quae numerat 1500 fideles, fuit bene provisum sive a tribus sacerdotibus illic viventibus et praesertim per duos sacerdotes stabiles, sive ab aliis sacerdotibus extraneis quos ille advocabat, quae res nota erat Curiae. Quoad catechesim, ea impertita fuit a parrocho et praedictis sacerdotibus, non solum per catechismum S. Pii X, sed utendo aliis subsidiis, inter quae ea quae extant in "Esperienze" dioecesis R. Quod in homilia ratio non haberetur liturgiae verbi, Resistens contestatus est se habere suas homilias scriptas ex quibus contrarium demonstrari potest. Miratur praeterea Resistens quod sibi obiciatur omissio Orationis fidelium aliarumve precum, cum de ministerio sacro a se exercito elogium habuerit suo tempore ab ipso Ordinario. De cura pastoralis et de participatione fidelium, rev. X dixit se invenisse paroeciam non in florida condicione spirituali: aliquid hucusque, uti potuit, se fecisse, cetera factum iri se-

quenti tempore, gratia Dei et maiore suo labore vehementer sperare.

Se ceterum posse testimonia exhibere de bona existimatione qua apud multos fideles gaudet. Quoad administrationem respondet Resistens se omnia debita solvisse, neque posse respondere de administratione praecedenti, cum de re compositio cum Ordinario et cum Officio Administrativo facta sit: nullum tractatum de alienandis bonis ecclesiasticis se instaurasse, quamvis id ab aliquibus petitum sit: reliquas autem accusationes fundamento carere.

Die octava novembris 1976 Examinatores Synodales coadunati cum Episcopo Auxiliari - Vicario Generali et alio Vicario Generali rem examinauerunt agnoscendo ut causas peragenda remotionis fracturam communionis inter parochum et fideles, horum modicam existimationem erga parochum, inopportunos interventus parochi in sacra praedicatione, absentias productas sine iustificatione a paroecia, discontinuitatem in cura pastoralis, defectum inceptorum in pascendo grege, modicam adhaesionem Concilii praescriptis, irregularitates administrativas graviores quam in praecedenti administratione V (emissionem cambialium litterarum, praescriptas pecunias sine pecunia in mensa nummaria); fracturam communionis cum Ordinario, propter inobedientiam, et cum sacerdotibus aliis: quae omnia rev. X inidoneum quoque faciebant ut eidem alia paroecia assignaretur.

Die 12 novembris Ordinarius asserens se recepisse quidem a rev. X "giustificazioni" de ipsius opere sed non obsequium ad ipsius invitationem ad renuntiandum, addidit se quaestionem subiecisse studio Examinatorum Synodali, quos ceterum iam consulerat ante litteras diei 2 octobris 1976: itemque communicavit in modo agendi parochi causas remotionis inveniri quae prostant in can. 2147, § 1, § 2, 1º, 2º, 3º, 5º CIC, aliasque in M. P. "Ecclesiae Sanctae" n. 20 (in executionem Decr. "Christus Dominus", n. 31) enuntiatas: iterumque invitavit parochum ad renuntiandum intra quindecim dies, promissa aequa sustentatione, ut moris erat. Die 29 novembris 1976 rev. X respondit Ordinario suam admirationem manifestando de sententia Examinatorum et, adducens novas iustificationes poposcit ab Ordinario, quem non rite informatum asserebat, ut a proposito desisteret: itemque audientiam petebat.

Die 1 decembris 1976 Ordinarius respondit iustificationes rev. X esse pure marginales ideoque se ex munere pastoralis cogi ad remotionem faciendam, Quae reapse facta est per decretum eiusdem diei propter causas enuntiatas a can. 2147, § 1, § 2, 1º, 2º, 3º, 5º "ed altre simili cause di ordine pastorale". Eodem die remotio fidelibus paroeciae ab Ordinario nota facta est.

Ilico et immediate i. e. eodem die 1 decembris 1976, rev. X recursum interposuit ad S. Congregationem pro Clericis quia "i motivi addotti dall'Arcivescovo sono o non corrispondenti a verità, o in gran parte esagerati oppure superati" et nulla habita fuit ratio in suscipienda

deliberatione meritorum quae ipse, de multorum et ipsius Archiepiscopi testimonio, acquisiverat.

Die 13 decembris 1976 Vicarius Generalis, rev. mus P, misit ad S. Congregationem documenta, situationem oeconomiam exponens sive paroeciae V sive Y in "Z", et asserens, inter alia, rev. X multo aere alieno gravatum, ad inveniendas pecunias sese immiscuisse "in attività e collusioni politiche non adatte al ministero parrocchiale, impedendo di attuare come si doveva il ministero sacerdotale". In iisdem litteris clare apparet punctum principale quaestionis esse "Centrum Sociale V" quod rev. X excitaverat et domum vacationum in "Q" quam idem parochus fundaverat, suo nomine inscripserat et ut suam habere intendebat.

Die 11 decembris 1976 Ordinarius scribens ad S. Congregationem spem expressit in proximam solutionem casus propter expectationem communitatis paroecialis: non denegabat ius rev. X appellandi sed addebat rev. X "non potrà facilmente dimostrare" sua asserta.

S. Congregatio pro Clericis die 15 martii 1977 decretum Ordinarii confirmavit, quod decretum Ordinarius die 31 martii 1977 insequenti rev. X communicavit. Hic vero die 28 aprilis 1977 recursum interposuit penes Nostrum Supremum Tribunal adversus decretum S. Congregationis pro Clericis.

In Congressu diei 11 octobris 1977 recursum admissus est ad disceptationem et die 15 octobris concordatum est dubium sueta formula:

"An constet de illegitimitate vel in procedendo vel in decernendo, relate ad ac-

tum S. Congregationis pro Clericis diei 15 martii 1977".

Acquisitis novis actis a Patrono Residentis et a S. Congregatione pro Clericis exhibitis, et praehabitis voto Rev. P. Petri Tocanel, O.F.M. Conv.; Promotoris Iustitiae et Restrictibus Rev. Josephi Macchiarola, Publicae Administrationis Advocati, et praedicti Patroni, adv. Francisci Ligi, est nunc concordato dubio respondendum.

IN IURE

Ut parochus amoveri possit a paroecia iter sequendum est per CIC constitutum in cann. 2157 - 2161: quod valet usque ad novum Codicem promulgatum (M. P. "Ecclesiae Sanctae", 20). Perpetuum autem est ut nonnisi ex iustis et gravibus causis remotio decernenda sit (can. 2147, § 1), parocho autem amovendo tempus et modus concedatur sese defendendi suasque rationes deferendi (can. 2183). Proinde eidem pandendae sunt causae ob quas Ordinarius eum a paroecia amovere intendit. Postquam per conciliaria decreta omnes parochi amovibiles declarati sunt, disceptatur utrum manifestatio causarum et argumentorum ad validitatem requiratur, uti praescribebat can. 2148, § 2 pro amotione parochorum inamovibilium. Quidquid est ad ius naturae pertinet ut quis sese defendere valeat, et hoc ius exerceri nequit, nisi causae et argumenta pandantur.

Causae amotionis indicantur a can. 2147, § 2: eae tamen non sunt taxativae, uti ex ipso canone eruitur, ubi dicitur "praesertim", et praeterea ex M.P. "Ecclesiae Sanctae" ubi sermo est de "alia simili ratione iudicio episcopi aestimanda".

Attamen haec similis ratio et ipsa talis esse debet, quae reddat noxium et inefficax, etiam citra gravem amovendi culpam, ministerium paroeciale. Iudicium ergo episcopi arbitrium esse non potest, sed intra fines iure statutos est continendum. Haec "similis causa" si obiciatur, praecise indicanda est, non verbis generalioribus, ex quo impossibilis vel difficilis evaderet amovendi parochi defensio.

Competentiam Nostri Supremi Tribunalis quod attinet, hoc certe de merito causarum videre non potest, at de earundem existentia, prout a lege praescribitur, videre potest et debet, nil quidem tangens de iudicio discretionali Ordinarii, si tamen intra fines legis contineatur. Est quidem res multae sapientiae et consilii, sed semper accurate agenda, ut tuitio iurium vere habeatur (cf. Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant, in *Communicationes*, 1 [1969] 82-83).

IN FACTO

Admirationem movet, in hac causa, quod parochus qui praesentatus fuerat ab Archiepiscopo uti longa et intensa experientia pastoralis praeditus et bene meritis in cura pauperum et indigentium (non obstantibus factis praesertim oeconomicis in praecedenti paroecia lamentatis), post annum et dimidium iudicetur prorsus inhabilis ad quodvis officium paroeciale obeundum. Ex alia parte acta perscrutanti dubium saltem subit quin plures incusationes sese referant ad praecedentem administrationem paroecialem, quae si aere alieno fuit gravata, optimis operibus, quae ipsum aes alie-

num valore superarent, fuit ditata, et ceterum conclusa fuit cum translatione parochi, ab ipso petita, licet ex invitatione Archiepiscopi, et promissione Curiae de debitis solvendis. "Possunt quidem ea quae praecesserunt pressius definire quae postea succedunt", ut observabit rev. mus L, Vicarius Generalis, rescribens ad S. Congregationem pro Clericis, sed praeter quam quod priora non solum ad minus recta sed etiam ad bona opera referenda sunt, oportet ut causae iustae et graves habeantur tempore administrationis paroeciae a qua parochus amovendus censetur.

Antequam de causis sermo fiat, videatur num procedura iure statuta revera adoptata sit.

Ordinarius N iuxta can. 2158 parochum monuit et hortatus est ut paroeciae renuntiaret, causas indicans quae ipsius iudicio ministerium noxium aut saltem inefficax reddebant.

Postquam autem rev. X renuens (vel potius assentiens sed datis condicionibus, quas Ordinarius accipere integras noluit vel non potuit), rationes dedit, eas Ordinarius perpendit cum duobus Examinatoribus.

Posthac renovavit invitationem ad renuntiandum praedeterminato tempore (intra quindecim dies) et comminata amotione, si rev. X non acquievisset. Rev. X respondit alia motiva referendo. Exactis tamen quindecim diebus Archiepiscopus remotionem decrevit. Ad apicem iuris nil est obiciendum.

Aliqua tamen admirationem cient: quod Examinatores quando primum votum scripto protulerunt rationes adductas

a rev. X prae oculis non habuisse videntur neque constat iisdem Examinatoribus exhibitam fuisse responsionem ultimam datam a rev. X post comminationem remotionis factam litteris diei 12 novembris 1976.

In praecedentibus litteris (dierum 25 februarii; 17 aprilis et 2 octobris 1976) Cardinalis Archiepiscopus numquam de remotione expresse loquutus fuerat sed generice asserebat se esse ad normam ss. canonum processurum, si rev. X renuntiationem non fecisset.

Unde hic potuit cogitare ad aliam proceduram, nempe ad eam per ius praescriptam contra parochos munera sua neglegentes, in qua tamen, prouti idem Resistens litteris diei 29 novembris 1976 lamentatus est, alia remedia praescribentur, antequam remotio decerneretur. De hac epistula parva ratio videtur haberi in litteris Ordinarii diei 1 decembris sequentis, quibus remotionis decretum communicatur.

Adnotandum pariter est quod, cum, inter alias, malae administrationis causa ab Ordinario in decreto suo remotionis portendatur, ex praescripto can. 2147, § 2, 5° alia remedia prius tentanda erant (uti v. c. administrationis sublatio), quam ad remotionem deveniretur.

Nihilominus Patres Cardinales censuerunt inter normas ss. canonum ab Archiepiscopo semper citatas, esse quoque proceduram pro amotione parochorum amovibilem, hanc igitur eum iure sequutum esse, prouti supra dictum est. Ex alia parte idem Ordinarius non unam sed plures obiecit causas et rev. X tempus et modum habuit suas adducendi rationes.

Videndum tamen est, legitimitatem decisionis quod spectat, utrum causae iure requisitae revera in casu exsistant.

Cardinalis Archiepiscopus in decernenda remotione causas adducit in can. 2147, § 2, 1°, 2°, 3°, 5° enuntiatis, praeterea alias indolis pastoralis, quae tamen non specificantur.

Porro prima causa est imperitia vel permanens infirmitas mentis aut corporis. Quamvis rev. X infirmitate aliqua afflictus sit vel in praesens affligatur, non ea videtur esse quae illum imparem reddat regendae paroeciae cum auxilio, si necesse sit, vicarii adiutoris. Quomodo autem potest dici imperitus, qui, novam paroeciam paulo ante ingrediens, dictus est ab Archiepiscopo peritus ex diuturna et intensa experientia pastoralis?

Secunda causa est odium plebis: sed loqui de odio plebis, bonae vel malae non interest, post annum et dimidium administrationis paroecialis (cogita ad infirmitatem, ad secessum propter redditionem rationum oeconomicarum) difficile est in eo qui ab Archiepiscopo laudatus fuerat praesertim propter operam pauperibus et profugis impensam. Quodsi ad Archiepiscopum missae sunt epistolae contra parochum, hic promptum sese exhibuit ad plures pro re exhibendas.

Tertia causa est bonae existimationis amissio penes probos et graves viros. Sed nescitur quomodo Resistens hanc famam amiserit, si neque eius levis vendi ratio neque antiquum crimen nuper detectum, neque factum familiarium et consanguineorum quod no-

ceat ministerio paroeciali (quae totidem sunt motiva in Codice enunciata) hic denuntiatur. Quinimo nuda citatio huius numeri canonis sine ulla determinatione sapere posset, in detrimentum Resistentis eiusque familiarium et consanguineorum, diffamationem. Non obstante autem remotione, Ordinarius permittit rev. X exercitium sacri ministerii in ipsa ecclesia paroeciali, comprehensa praedicatione et confessione fidelium: quod haud facile componi videtur cum praedicata famae amissione. Recolendum denique est rev. X, cum accusatus fuisset ab aliquo diario locali pravae administrationis imo et decoc-tionis, seu cessionis bonorum, exegisse, datis rationibus, et obtinuisse publicam retractationem.

Quinta causa est in mala administratione rerum temporalium cum gravi ecclesiae et beneficii damno. Sed in quo consistat mala administratio in paroecia Y "di Z" vix demonstratur, etsi aliqua vaga et non probata, imo a Resistente contradicta, proposita sunt apud ipsam S. Congregationem pro Clericis. Ex alia parte canon, prout dictum est, ad evitandam malam administrationem, alia remedia suggerit experienda, antequam ad remotionem deveniatur. Quoad prioris paroeciae administrationem, vix est aliquid dicendum, non solum quia administratio in bonum tandem cessit paroeciae ob aedificatam ecclesiam, et alia excitata vel extructa opera quae in bonum vertunt fidelium et lucrum pariunt (notum est brocardum, debita per credita compensari) sed etiam quia res iam composita fuit cum Archiepiscopo et Officio Administrativo dioecetano, quod, ut videtur, clausulas statutas non plene adhuc adimplevit.

Esto igitur quod rev. X ingenio fervidus ad opera extruenda fuerit pronus, quae sine pecunia (saepius commodata) non aedificantur: sed praeter quam quod is fuit propter opera valde laudatus suo tempore, proclivitas poterat aliis iustis modis coerceri, per vigilantiam auctoritatis huic rei praepositae.

Esto pariter quod Officium Administrativum paenituerit de conventionem forsan praepropere facta (antequam praecisa ratio a rev. X reddita fuit): sed conventio revera facta est et debitor mansit Officium Administrativum. Quodsi controversiae nunc oriantur in alia sede solvantur.

Quoad alias causas pastorales tam generice enuntiatis ab Archiepiscopo, difficile est iudicium efferre. Forsan eae sunt in "carentiis" denuntiatis ab Archiepiscopo, quando rev. X invitatus est ad renuntiandum, ut v. gr. omissio orationis communis fidelium aliarumque precum reformatae liturgiae (quales autem hae sint incertum), ut catechesis non rite curata et facta ex catechismo S. Pii X, ut sermo homileticus, liturgiae verbi non inspiratus.

Resistens ad haec et ad alia, uti vidimus, opposuit sua motiva; suntne autem satis hae causae ut amoveatur parochus qui vix ab anno et dimidio (imo a breviori tempore, si iustificatae absentiae computantur) regit paroeciam, non in florida conditione spirituali inventam,

tamque diversam ab ea omnino paupere quam prius occupaverat, et promittit (in posterum, a gravioribus morbis ictibus iam sanatus et liber a reddenda ratione rerum oeconomicarum), omnem operam se esse impensurum ut paroeciam magis colat melioremque faciat?

Recolendum autem est rev. X promptum se exhibuisse ad renuntiandum, iuxta invitationem sui Archiepiscopi, dummodo ante plene impletae essent clausulae prioris renuntiationis, iuxta promissa.

Visum igitur est Patribus Cardinalibus non adesse in casu causas, iustas et graves, quae ad remotionem a paroeciae decernenda iure requiruntur.

Quibus omnibus, tum in iure tum in facto mature perpensis Nos infrascripti Cardinales Iudices Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, pro tribunali sedentes ac Deum solum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, declaramus et definitive sententiamus, proposito dubio respondentes:

Constare de illegitimitate in decernendo relate ad actum Sacrae Congregationis pro Clericis diei 15 martii 1977.

(Sign.ti)

Pericles Card. FELICI,
Praefectus et Ponens

Franciscus Card. CARPINO

Aegidius Card. VAGNOZZI

Maximilianus Card. DE FURSTENBERG

Paulus Card. BERTOLI

Sylvius Card. ODDI

Humbertus Card. MOZZONI

Petrus Card. PALAZZINI

Notificetur

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 29 aprilis 1978.

✠ Aurelius SABATTANI, *Secr.*
Vincentius CÁRCEL ORTÍ, *Not.*